

1090₁₀₉₇ FROM THOMAS MORE.Epistolae ad diuersos p. 544.
HN: Lond. xiv. 15: LB. 553.<Greenwich ?>
<April 1520.>

[An approximate date may be assigned from Ep. 1097.]

THOMAS MORVS ERASMO SVO S. D.

TAMETSI mihi nunquam fuit obscurum, Erasme omnium dulcissime, quanto interuallo iudicium tuum antecellat meum, nunquam tamen illustrius inclaruit quam in hoc consilio, quo tibi Leoque suasimus vt libellus eius perpetuo premeretur: te censente contra vt tum
 5 potius aedere sineretur, dum expectabatur assidue, vt aliquando posset ea finiri fabula, quam sopita fama paulisper post exiret tamen, noua suscitata tragoedia. Itaque perpulimus verius quam persuasimus, vt in ea pacta concederes; quae, quum tu te neges infregisse, Leus sancte sese seruasse deieret, interim tamen perpetuo fere rumpe-
 10 bantur. Per vtrum vero, quando res me tam procul agente gerebatur, altero in alterum congerente regerenteque vicissim omnia, certo diiudicare non possum: dolere tantum cogor illud consilium tantum apud vtrunque valuisse vt pax iniretur, quod valiturum non erat vt seruaretur. Maluissem enim tum libellum aeditum quum minus
 15 irritatis animis poterat aedi mitius, quam vt nunc demum adauctis odiis emitteretur acerbior. Prodiit enim, sed amarior aliquanto quam vel sperassem vel in rem fuisset studiosorum; in quibus desideratur ea modestia quam vel idiotas inuicem non praebere pudesceret. At tibi certe, mi Erasme, conuenit, si causas quas allegat
 20 habuit, non mirari si amarulentius affectum suum tam insigniter offensus effuderit: sin elusus est aliqua figura veri, sic quoque conuenit ignoscere. Neque enim nos quicquam segnius credita mouent quam cognita.

Non es vel admonendus, opinor, vel hortandus, vt exhibeatur abs
 25 te vere Christiana modestia, cuius labor in tota re vni desudat Christo, qui tibi solus ob oculos debet obuersari: a quo solidiorem tanto referes gratiam, quanto magis hic referre mundus neque ingratus curat neque gratus potest. In cuius immensa commoda quum tot incommoda perpessus sis, quum tot laboribus valetudinem detriueris,
 30 vt bona promoueres studia, tamen apud inuidos, eosque tibi prope-modum vni debentes quicquid habent literarum, si quid habent bonarum, mala pro bonis referas, eo similior es Christo: quem non aliter possis imitari fidelius quam si maledicta retalies benedictis, sicut incitasti benefactis. Vale, Erasme animo meo charissime.

35

Tuus, vt suus, T. Morus.

6. H: possit F.

9. H: rumpebatur F.

35. Tuus . . . Morus om. H.

8. ea pacta] The settlement attempted in the summer of 1519: see p. 110, and cf. Ep. 1074. 67-74.

19. causas] The contempt shown

for his notes (cf. his letter to Louvain, *Annot.* f. AA⁴), and the abusive attacks made upon him (*ibid.* f. CC. v^o, CC²: cf. Ep. 1061. 319-509).